

ut antea jam patuit. In sphaeris autem diametri sunt pro lateribus homologis. Itaque potuit etiam de circulis idem dici quod de rectilineis similibus. Circuli inter se habent duplicatam rationem diametrorum, ut antea dixi, ad 2 p 12 ut pateat omnium figurarum similium commune esse habere rationem homologorum laterum æquemultiplicatam dimensionibus. Demonstratio autem polyhedrum inscriptum ita comparat ad sphaeram, ut antea ad conos & cylindros pyramides inscriptæ & prismata inscripta comparantur, conclusioque per labyrinthum non majoris, non minoris, atque utriusque partis incommoda procedit. Ita sexto loco cretensis labor inextricabilis iteratur, fuit enim labyrinthus iste 2. 5. 10. 11. 12. & nunc 18 p 12 ita sex demonstrationes in stereometria prorsus admirabilem logicam habuere, ut valde vehementerque addubitem, utrum post authorem harum demonstrationum logico quisquam & considerato iudicio ista perpendere, labor cogitationum primarum sine authoribus gravissimus fuit: & videntur posteri difficultate deterriti nihil melius exquisisse, & certe experiendo facile adducor ut ignoscam. Aliud tamen est veniam, aliud laudem mereri. Itaque eadem spe atque voluntate huc progressis minimè in extremo concidendum fuit, sed ad finem usque perseverandum. Quare ex octodecim propositionibus duodecimi libri tres fuere de planis 1. 2. 16: de pyramide quatuor 5. 6. 8. 9: de prismate & pyramide tres generis stereometrici propriae 3. 4. 7. de sphaera duæ 17 propria, 18. in genere comprehensa, de cono & cylindro communiter quinque in generalibus comprehensæ 11. 12. 13. 14. 15. unica 10 de cono & cylindro stereometrici generis propria: ita quod initio proposueram ex 18 propositionibus hujus libri, quinque solæ sunt stereometrici generis propriae: è reliquis tredecim, tres sunt de planis, aliæ decem sunt inani tautologia ex generalibus factæ, & tamen ex illis quinque propriis 3. 4. 17. ludicra stereometriæ potius quam seria & comoda documenta videantur.

LIBRI VIGESIMI OCTAVI FINIS.

PETRI RAMI SCHOLARUM MATHEMATICARUM
LIB. XXIX. IN DECIMUM TERTIUM
elementorum.



Decimus tertius liber magis ad geometriam planorum attinet, quam ad stereometriam solidorum. Nam de propositionibus octodecim primæ duodecim sunt de planis, & quatuor primæ propositiones subtilius & curiosius à Theone demonstrantur, cum tamen ferè consecutaria sint ex 11 p 2, sicuti quinta nominatim à Theone

PPp 2